

XLII.

Confirmatio donationum, ab Episcopo, Clero, & Populo Placentino factarum Monasterio Columbano Clarevallesi.

Ex Archiep. Monast. hujus edidit Cap. Hist. Placent. Tom. I. pag. 138. & Ughellus Ital. Sac. Tom. II. ubi de Episcopis hujus Civitatis.

Exordium.

Bona ad Monasterium spectantia confirmantur.

Cum decreto omnimodae exemptionis a solutione decimarum.

Ecclesiam uliam, aut deum constituta intra hunc Monasterium interdicitur.

Decretum immunitatis ab omni perturbatione, vel alienatione.

Sub solis claudis.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, carissimo in Christo filio Bernardo Clarevalensi Abbati, ejusque successoribus regulariter substituendis in loco, qui Columba dicitur, & Caretum antiquitus vocabatur, quique in Placentino Episcopatu situs est, in perpetuum.

PIÆ postulatio voluntatis effectu debet proficiente compleri, quatenus & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Quamobrem, carissime in Domino fili Bernarde Abbas, tuis precibus annuentes, Monasterium, quod in loco, qui Columba dicitur, situm est, Apostolica Sedis privilegio communimus: Statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona, idem Locus impræsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, Fratribus, qui ibidem pro tempore fuerint, firma in perpetuum & illibata permaneat: In quibus hæc specialiter duximus adnotanda: Omnes videlicet terras illas, quas illustri vir Pallavicinus Marchio, & nobilis Signifer Placentinæ civitatis, seu alii boni viri, eidem loco devotionis intuitu contulerunt, quas nimirum ejusdem loci Fratribus quietas & liberas jure perpetuo permanere, & ab omni seculari exactione remotas fore, sancimus. Et, quoniam communem vitam agentes de aliorum elemosynis ac beneficentia debent vivere, constituimus, ut de laboribus, quos fratres ipsius Monasterii propriis manibus aut sumptibus excolunt, nullus ab eis decimas exigere vel suscipere audeat. Decernimus etiam, ut a Villa, quæ Senna dicitur, usque Batrium, seu infra alios terminos, a venerabili fratre nostro Arduino Episcopo, necnon Clero, & Populo Placentino specialiter designatos, nulla Ecclesia quolibet tempore construatur, nullaque secularis habitatio profus fiat. Nulli ergo hominum fas sit, idem Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuerè, vel temerariis vexationibus fatigare: sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum sustentatione, & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè tentaverit, secundo tertiove commonita, si (a) non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine distri-

(a) Variat hic exemplar Ughellii, putans, utrumque relatorum claudis hujus, in Codice fortasse omisiss, suo marie suscepisse.

ctæ ultioni subiaceat: Cunctis autem eidem Ecclesiæ justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

EGO INNOCENTIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Drogo (a) Ostiensis Episcopus.

Ego Gerardus Presbyter Cardinalis Tituli sanctæ Crucis in Hierusalem.

Ego Lucas Presbyter Cardinalis Tituli sanctorum Joannis & Pauli.

Ego Bernardus Presbyter Cardinalis Tituli sancti Chryzogoni.

Ego Ju... Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ in Aquiro.

Datum Pisis per manum Aymerici sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii, VII. Id. Februarii Indictione XV. Incarnationis Dominicæ anno MCXXXVII. Pontificatus verò Domini Innocentii PP. II. anno VII.

Innocentii PP. & S. R. E. Card. subscriptiones.

Dat. die 7. Februarii anno Domini 1137. Pontif. ann. VII.

XLIII.

Elargitio privilegiorum Monasterio S. Petri Perusina Civitatis Ordinis Cisterciensis, ejusque bonorum confirmatio.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Hieronymo Abbati Monasterii Sancti Petri, quod secus Perusinam Civitatem situm est, ejusque successoribus regulariter promovendis, in perpetuum.

Ex Archiep. Monast. hujus edidit Mar. Gervinus Ital. Sac. Tom. II.

Exordium.

PIÆ postulatio voluntatis effectu debet proficiente compleri, quatenus devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter, dilecte in Domino filii Hieronyme, tuis postulationibus clementer annuimus, atque prædecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, Monasterium Beati Petri, cui auctore Deo præfides, Apostolica Sedis privilegio communimus, Statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona, idem Locus impræsentiarum justè & legitime possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, tibi tuisque successoribus firma & illibata permaneat, tam in Ecclesiis, quàm in cellis, curtibus, plebibus, monasteriis, fundis, atque casualibus: In quibus utique hæc propriis nominibus duximus exprimenda: plebem scilicet sancti Constantii, sancti Ruperthi, sancti Martini, & sancti Joannis, Plebem sancti Martyrii, Ecclesiam sancti Benedicti in Angellione cum suis pertinentiis, Ecclesiam sancti Justini cum curte sua, Ecclesiam sancti Andree, & sancti Angeli de Aliano, cum suis pertinentiis, Ecclesiam sanctæ Mariæ in Petiviano, & sancti Clementis, curtem de Casale, curtem de Petroniano, & hoc, quod vobis pertinet de curte & Ecclesia sancti Donati de Civitella: nec non

Monasterii bona enumerat, & confirmat.

(a) Ughellius habet Alboricus, memor hunc se anno 1136, Episcopum Ostiensem factum affirmasse.

non & terram Ugonis Nepotis Bernonis de Monte-nigro. Apostolicæ quoque Sedis tibi munimine confirmamus Ecclesias sanctorum Apollinaris, Blasii, & Montani, cum suis omnibus pertinentiis: salvo annuo censu Farsensis Ecclesiæ. Quin etiam confirmamus Massas tres, in Comitatu Perusino positas, unam, quæ vocatur Cusulo, alteram Filontio, & aliam, quæ nuncupatur Casalina, cum Ecclesiis, vineis, campis, hortis, montibus cultis & incultis, omnibusque suis pertinentiis: Monasterium quoque sancti Angeli in Comitatu Assisinate, in loco, qui dicitur Limifano, cum cellis & cappellis suis, & cum omnibus sibi pertinentibus: Ecclesiam sancti Archangeli, sitam juxta Lacum Perusinum, cum omni sibi pertinentibus: atque Monasterium sancti Salvatoris in Cothale, cum omnibus sibi pertinentibus, & Monasterium sancti Petri in Plojano cum universis suis pertinentiis, Ecclesiam sancti Sylvestri in Murcella, Ecclesiam sancti Donati, & quicquid vestri juris esse dinoscitur in Agello: Ecclesiam sanctæ Mariæ in Podio cum omnibus pertinentiis, Ecclesiam sancti Pauli in Monticello, atque Ecclesiam sancti Petri de Petroniano, cum curte sua. Sane Christina, Oleum sanctum, consecrationes Altarium sive Basilicarum, ordinationes Monachorum, qui ad sacros fuerint ordines promovendi, & Clericorum, ad idem Monasterium pertinentium, a Diocesano accipietis Episcopo, si quidem Catholicus fuerit, & si ea gratis ac sine pravitate voluerit exhibere: alioquin, liceat vobis catholicum, quem malueritis, adire Antistitem, & ab eo consecrationum Sacramenta suscipere: qui Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fultus auctoritate, quæ postulatis, indulgeat. Obvenite verò te, nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nulli ibi qualibet subreptionis astutia: seu violentia præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem, & beati Benedicti regulam, elegerint: a Romano Pontifice consecrandum. Missas autem publicas in eodem Monasterio per Episcopum fieri, vel stationes, aut ordinationes aliquas celebrari, præter Abbatis, ac fratrum voluntatem, omnimodè prohibemus: ne in fervorem Dei recessibus occasio popularibus præbeat ulla conventibus. Nec ulli Episcopo facultas sit, præter Romani Pontificis conniventiam, idem Coenobium, aut ejus cellas gravare, interdicerè, vel excommunicare, seu exactiones novas imponere: Nec secularium procerum cuiquam liceat, fodrum vel aliud servitium, ab eodem Monasterio aut ejus pertinentiis extorquere: salvo nimirum jure & ac dominio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Decernimus igitur, ut nulli omnino hominum liceat, eandem Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, vel injustè ablatas suis usibus vindicare, vel temerariis vexationibus fatigare: sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua ergo in futurum ecclesiastica secularive persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerario ausu venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a Sacratissimo Bull. Rom. Tom. II.

Sacramentorum elargitionem ad Episcopum loci, si fuerit catholicus.

Abbas vero electionem ad solos Monachos spectare declarat.

Sine ejusdem Episcopi Missas publicas, vel quid simile in Ecclesiis Monasterii celebrare non possit: Neque Monasterium ipsum sacris interdiceret.

Adversus occupantes & perturbantes bona vel jura Monasterii excommunicationem fert.

Corpore ac Sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi Redemptoris aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat: Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

EGO INNOCENTIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Drogo Hostiensis Episcopus.

Ego Theodewinus S. Rufina Episcopus.

Ego Berardus Presbyter Cardinalis Tituli S. Crucis in Hierusalem.

Ego Anselmus Presbyter Cardinalis Tituli S. Laurentii in Lucina.

Ego Martinus Presbyter Cardinalis Tituli S. Stephani.

Ego Guido indignus Sacerdos.

Ego Bernardus Presbyter Cardinalis Tituli sancti Chryzogoni.

Ego Gregorius Diaconus Cardinalis sanctorum Sergii & Bacchi.

Ego Vassallus Diaconus Cardinalis sancti Eustachii.

Datum Pisis per manum Aymerici Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis, & Cancellarii, IV. Idus Februarii, Indictione XV. Incarnationis Dominicæ anno MCXXXVII. Pontificatus verò Domini Innocentii Papæ II. anno VII.

Benedictionem beneficiorum elargitur.

Innocentii PP. & S. R. E. Card. subscriptiones.

Dat. die 10. Februarii anno Domini 1137. Pontif. an. VII.

XLIV.

Guillelmo Arausicano Episcopo bona omnia & possessiones confirmantur.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Guillelmo Auriacensi Episcopo, ejusque successoribus canonicè promovendis.

Inter Instrumenta Ecclesiæ hujus edidit Sammarth. Gall. Christ. Tom. I.

IN beati Petri cathedra, disponente Domino, constituti, fratres nostros Episcopos debemus diligere, & loca eis commissa Apostolicæ Sedis munimine conservare. Quamobrem, venerabilis frater Guillelme Episcope, tuis postulationibus impartimur assensum, & Ecclesiam Auriacensem, cui, Deo auctore, præfides, præsentis scripti paginâ communimus: Statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona, eadem Ecclesia in præsentis anno justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, operante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus in perpetuum, & illibata permaneant: In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Ecclesiam scilicet sancti Florentii cum cimeterio & villa, quæ Claustrum nominatur, infra ipsam cimeterium constituta, cum palude Condamina, quam Comitissa Auriacensis, assensu filii Raimbaldi, beato Florentio contulit, cum decimis & cæteris possessionibus suis: Ecclesiam beati Eutropii cum decimis totius territorii de Cadarossa, & possessionibus suis: Ecclesiam sancti Petri cum decimis & possessionibus suis: Ecclesias de Monte-draconis, de Sagariis,

Procurium.

Bona omnia Arausicana Ecclesiæ confirmantur.

riis, de Jocondatis cum decimis & possessionibus suis, de Mornatio, de Serignano, de Graepontis, de sancto Juliano, de Derbucio, de Guarda, de Travallano, de Camereto, de Veillaga, de Vacquayrassio, de Albuna, de Durba-no & Balmis, de Albagnano, de Jonqueriis cum decimis & possessionibus suis, & decimis de Sarriano, & de Podiod'cardo, de sancto Pri-vato, de Gausanis, & de Aselano, & Ecclesiam sancti Genesii cum appendiciis suis, & cetera omnia, quae venerabilium fratrum nostrorum, praedecessorum tuorum, Episcoporum fraternitas de occupantium manibus eripuit. Ea etiam omnia, quae per vos vel per feudales vestros praefata Ecclesia possidere videtur, vobis nihilominus confirmamus. Ad exemplum quoque praedecessoris nostri beatae memoriae Papae Calixti, apostolica auctoritate sancimus, ut in praefata Aurasicensi Ecclesia perpetuis futuris temporibus Episcopalis Sedes absque Tricastini Episcopi, vel cujuslibet alterius contradictione consistat; similiter idem locus propriam Parochiam Episcopalem obtineat, in qua tu vel successores tui, Clericos ordinandi, Ecclesias & Oratoria consecrandi, & alia, quae ad episcopale officium pertinent, ministrandi, facultatem liberam habeatis. Terminos sane Aurasicensis Parochiae, quos ex praepcepto ejusdem praedecessoris nostri, in praesentia Attonis quondam Arelatensis Archiepiscopi, & Suffraganeorum ejus, per assertiones testium, & instrumenta cartarum a praedecessore tuo bona recordationis Berengario Episcopo constat esse probatos, & Romae, assistente Pontio Tricastino Episcopo, per eundem Romanum Pontificem, indagatis utrinque diligenter rationibus, in praesentia Episcoporum & Cardinalium collaudatis, praedictae Aurasicensis Ecclesiae quiete & sine aliqua infestatione habendos, possidendosque firmamus; videlicet a ponte Abolena per stratam regalem, quae vadit inter duos montes usque ad Diganum, & a praedicto ponte, sicut ascendit aqua de Lez versus meridiem, & usque ad fines Vasensis Episcopatus. Porto debitam portionem decimarum & cunctarum oblationum, quae pro vivis & pro defunctis, Ecclesiae offeruntur, sanctorum Canonum instituta distinguantur; ideoque, venerabilis frater Episcopo, quartam partem decimarum ad te pertinentium, tibi ab aliquo usurpari prohibemus. Simili modo statuimus, ne aliquis detentiones Ecclesiae, non ad se pertinentes, suis usibus indebitè vindicare praesumat. Nulli ergo hominum fas sit, praefatam Aurasicensis Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu cujuslibet molestiis fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si quis igitur in futurum, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi congruè satisfecerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio de perpetrata iniquitate cognoscat existere, & a sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtè ultioni subjaceat: Cunctis autem eidem loco, quae sua sunt, servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant,

Sedes Episcopalis, & competens jurisdictione in ea futura absque alterius Episcopi contradictione.

Assignatio consinium.

Quarta pars decimarum, & oblationum Episcopo adjudicantur.

Solite clausula.

& apud districtum Judicem praemia aeternae pacis inveniant.
EGO INNOCENTIUS Catholicae Ecclesiae Episcopus.
 Ego Angelus Presbyter Cardinalis tituli sancti Laurentii.
 Ego Lictifredus Presbyter is.
 Ego Lucas Presbyter tituli sanctorum Joannis & Pauli.
 Marton Presbyter Cardinalis tituli sancti Stephani.
 Ego Guido indignus Presbyter.
 Ego Gregorius Presbyter Cardinalis tituli sanctae Priscae.
 Ego Bernardus Presbyter Cardinalis tituli sancti Chrysoconi.
 Ego Theodewitus sanctae Rufinae Episcopus.
 Ego Drogo Ostiensis Episcopus.
 Ego Albertus Albanensis Episcopus.
 Ego Gregorius Diaconus Cardinalis tituli sanctorum Sergii & Bacchi.
 Ego Guido Diaconus Cardinalis S. Hadriani.
 Ego Ulbordus Cardinalis S. M. in Via lata.
 Ego Chrysoconus Cardinalis Diaconus S. Mariae in Porticu.
 Ego Ivo Diaconus Cardinalis sanctae Mariae.
 Datum Pisis per manum Aymerici sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi Cardinalis & Cancellarii, V. Kal. Martii, Indictione XV. Incarnat. Dominicae anno MCXXXVII. Pontificatus vero Domini Innocentii Papae anno VIII.

Innoc. PP. & S. R. Eccl. Cardd. sub. scriptiores.

Dat. die 25. Februarii anno Domini 1137. Pontif. anno VIII.

XLV.

Approbatio Instituti regularis vitae Canonicorum Niciensis Ecclesiae, cujus bona omnia confirmantur.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Petro Niciensi Episcopo, ejusque successoribus canonicè promovendis, in perpetuum.

Ex Authentico scriptum edidit Ughell. Ital. Sac. To. IV. ubi de Niciens. Episcopis.

Proemium.

Officii nostri nos hortatur auctoritas, pro Ecclesiarum statu satagere, & earum quieti & utilitatibus salubriter, auxiliante Domino, providere. Dignum namque, & honestati congruum esse cognoscitur, ut qui ad Ecclesiarum regimen assumpti sumus, eas a pravorum hominum nequitia tueamur, & B. Petri atque Apostolicae Sedis patrocinio muniamus; & Niciens. Ecclesiam, cui Domino auctore praesente dignosceris, S. R. E. privilegio roboramus: Statuentes, ut Ordo Cononicus, qui secundum B. Augustini Regulam tuo laudabili studio est in Niciensi Ecclesia Dei gratia institutus, ibidem futuris temporibus inrefragabiliter observetur; & decedentibus Clericis, qui impraesentiarum in eo Domino famulantur, nullus eis, nisi regularem vitam professus, Canonicus subrogetur. Obeunte quoque te, nunc ejusdem loci Episcopo, nemo ibi praeter quam regularis Episcopus praeponat, qui eidem Ecclesiae, cooperante Domino, praesesse valeat, & prodesse. Decernimus etiam, ut quaecumque bona, quascumque possessiones eadem Ecclesia impraesentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum,

In hac Ecclesia Canonorum regulari disciplina approbata.

Confirmatioque bonis omnibus ad eam pertinentibus.

gum & Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, permittente Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus in perpetuum, & illibata serventur; In quibus haec propriis nominibus adnotanda subjungimus; Ecclesiam videlicet S. Mariae de Clansio, Ecclesiam sancti Laurentii de Illonia, Ecclesiam sanctae Mariae de Pila, Ecclesiam sanctae Teclae, & Castrum, quod vocatur Drapum, Ecclesiam sanctae Mariae Villaveteris, Monasterium sancti Pontii cum Ecclesiis ad ipsum pertinentibus, quas in Niciensi Episcopatu, Episcopale legitime pertinet dignoscitur; Ecclesiam sanctae Mariae de Olivo, Ecclesiam sancti Hospitii. Nulli ergo hominum liceat, quod a te super institutione praefatae Ecclesiae factum est, & a nobis firmatum, infringere, vel mutare, seu qualibet occasione convellere, nec ejus possessiones auferre, vel Abbatis retinere, seu quibuslibet molestationibus fatigare; sed omnia semper conserventur eorum, pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in posterum ecclesiastica secularive persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contraire, & temerè venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, & a sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtè ultioni subjaceat; Cunctis autem eidem sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic bonae actionis fructum percipiant, & apud districtum Judicem praemia aeternae pacis inveniat. Amen. Amen.

Innoc. PP. EGO INNOCENTIUS Catholicae Ecclesiae Episcopus.
 Ego Guillelmus Praenestinus Episcopus.
 Ego Hubaldus Diac. Card. S. Mariae in Via lata.
 Ego Chrysoconus Diac. Card. S. Mariae in Porticu.
 Ego Anselmus Presb. Card. tit. S. Laurentii in Lucina.
 Ego Lictifredus Presb. Card. tit. Vestinae.
 Ego Lucas Presb. Card. tit. SS. Joannis & Pauli.
 Datum Pisis per manum Aymerici S. R. E. Diaconi Card. & Cancellarii, IV. Kalend. Aprilis Ind. XV. Incarnationis Dom. anno MCXXXVII. Pontif. vero Domini Innocentii Papae II. anno VII.*

Quorum hic pars describitur.

Cum decretis validanti ea, quae ab Episcopo statuta sunt &c.

Innoc. PP. anathemat. percutit Privilegi hujus violatores.

Observatoriis vero bona precatur.

Innoc. PP. & nonnullorum S. R. E. Cardd. sub. scriptiores.

Dat. die 29. Martii anno Domini 1137. Pontif. anno VIII. * leg. VIII.

XLVI.

Monasterium de Cheminon, ab Ordine S. Nicolai de Aroasia translatum ad Ordinem Cisterciensem, Cœnobio de tribus Fontibus subditur.

Ex Gall. Christ. Tom. IV. pag. 29

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Stephano Abbati Monasterii de Tribus fontibus ejusque successoribus regulariter substituendis, in perpetuum.

Fraterum Clavallentium comitia.

Laudes & gratias omnipotenti Deo referimus, quod nomen & vitam Fratrum Clavallentium per diversas partes mundi ita celebrem, ita fecit spectabilem esse, ut eorum lau-

dabili... ipsi quoque viri religiosi religiosiores fieri appetant, & juxta illud Psalmista, De virtute in virtutem ire contendant.

Placet igitur, & hoc ipsum auctoritate confirmamus, quod Canonici Cheminonenses semet ipsos, & locum suum Monasterio de Tribus fontibus contulerunt, & sub vestra cura atque magisterio de cetero vivere decreverunt; & quoniam Deus, utpote incommutabilis & æternus, mutabilia corda non approbat, atque apud ipsum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, simili modo sancimus, ut jam dictis Canonicis praesentibus vel futuris nullatenus liceat, quocumque tempore se a vestra subjectione subtrahere, seu qualibet occasione contra vos calcaneum elevare; sed potius idem locus cum appendiciis suis, & personarum, ibidem pro tempore Domino servientes, etiam obediens vobis existant, quemadmodum Abbatis, quae secundum regulam Cisterciensium instituta sunt, suo capiti obsequantur: salvo nimirum censu xij. nummorum Cathalaunensium, singulis annis nobis nostrisque successoribus persolvendorum. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat vos vel successores vestros super hac nostra confirmatione temerè perturbare, aut aliquam vobis exinde contrarietatem inferre. Si quis autem ausu temerario contra hanc praesentem constitutionem venire tentaverit, secundo tertiove commonitus, nisi praesumptionem suam congrua satisfactione correxerit, excommunicationi subjaceat; Conservantes verò omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli gratiam consequantur. Amen. EGO INNOCENTIUS Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Translationem, & subjectionem a Canonice Cheminonensis Monasterio de Tribus Fontibus factas confirmat.

A quibus substationem fieri prohibet.

Censum annuum sibi reservat.

Clausulae.

Dat. die 19. Februarii anno Domini 1138. Pontif. anno IX.

XLVII.

Confirmatio bonorum omnium Praeposito, & Canonicis Ecclesiae S. Mariani Eugubinae Sedis Cathedralis, a Principibus Regibus, vel summis Pontificibus donatorum.

Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Benedicto Praeposito, ejusque fratribus in Ecclesia Cathedralis Sedis B. Mariani Eugubinae civitatis famulantibus, tam praesentibus quam futuris, in perpetuum.

Ex membranis Archiv. Eugubini edidit Ughell. Ital. Sac. To. I. ubi de Epp. Eugub.

PIAE postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut & fidelis devotio laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Ea propter, dilecti in Domino filii, postulationibus vestris clementer impertimur assensum, & Ecclesiam B. Mariani, in qua divinis estis obsequiis mancipati, Apostolici privilegii paginam communimus: Statuentes, ut quascumque possessiones, quocumque bona, idem Locus impraesentiarum canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, praesente Domino, poterit adipisci, firma vobis in perpetuum & illibata permanent.

Exordium.

Bona omnia Ecclesiae huic confirmantur.